# The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

## Contemptus o
### cum fonte primo

Insuperabili loco stat animus qui externa deseruit. Inexpugnabilis est quem multis machinis lacessitum fortuna non transit.

→ ←

Philosophia circumdanda est, inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis lacessitum non transit. In insuperabili loco stat animus qui externa deseruit et arce se sua vindicat; infra illum omne telum cadit.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 82.5 (L. Reynolds ed., vol.1, p.272, ll.14-18).

Nunquam maior est quam ubi aliena disposuit et fecit sibi pacem nil timendo diuicias, nil concupiscendo.

Seneca LXXXIII. epistola.

Cotidie mihi annum novum faciunt, quem ego faustum et felicem reddo bonis cogitationibus et animi magnitudine, qui numquam maior est quam ubi aliena seposuit et fecit sibi pacem nihil timendo, fecit sibi divitias nihil concupiscendo.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 87.3 (L. Reynolds ed., vol.1, p.303, ll.14-18).